

# PRÆFATIO.

OCCASIO, UTILITAS, LIBERTAS,  
ET  
ORDO SCRIBENDI.

*P*ostquam in eminentissimi Cardinalis-Archiepiscopi mechliniensis nuperam de Doctorum Lovaniensium Sententiis Declarationem incidisse, eamque legendo evolverem, mentem subiit Cogitatio, Bonnensium Doctrinam similem simili subigi posse Examini, Arridebat mibi ille mentis Conceptus, tum quod intelligerem, Partum hunc Bonorum nemini displicere posse, tum & ingentis fore utilitatis in studiosam sub iis Juventutem

A

redun-

redundaturæ; quippe quæ in apertam sentiendi, agendive Corruptelam sensim duceretur, nisi tandem aliquis offerret sese, qui incautam moneret, ostenderetque Erroris Magistros, quos Cane angvèque pejores Caveat.

*Animos mibi addidit summa, quæ fruor  
in Juliæ montiumque Ditionibus, Libertas;  
exulat hic panicus scribendi, inprimendique  
Metus, qui Athenas Colonenses in torporem  
plane non ferendum abegit; nescimus nos Ca-  
lamorum hebetudines, labiorum Compressio-  
nes, linguae Vincula, Veritatis Carceres,  
aut Literariorum illum genus Despotismi; gens  
maxime libera sumus: Atque ejusmodi re-  
gimur Principe, sub quo palam mutire  
plebejo piaculum non est. Veritatem,  
Defensores Religionis ipse ejusdem Defensor,  
Vindices Disciplinæ Vindex ipse, Osores  
Novitatum ipse earundem Osor maximus  
amat, alit, Colit. Quo sub Maximo Prin-  
cipe quis demum erit, quem metuam?*

Hed-

Hedderichius, Spirzius, Weimerus,  
Froitzheimiusque fuat, nullo discrimine  
habebbo.

Rem itaque ut ordine prosequar, Quæ-  
stiones eminentissimi Card. Archiepiscopi  
Mechliniensis Bonnenibus Doctoribus pro-  
ponam easdem, iis suas dein singulorum Re-  
sponsiones ex editis hacenus à se aut Thesibus,  
aut Dissertationibus, aliisque opusculis ad-  
scripturus. Quād quidem ratione palam  
fore Confido, ovum ovo non posse similius  
esse, quām Lovanio Bonnam: tandemque  
aliquando Ipsum Archiepiscopum Colon. in-  
tellecturum, quām turpiter iis à Viris bac-  
tenus deceptus, lususque fuerit, quām nulli  
suæ Ecclesiæ bono, sed maximo Cleri Detri-  
mento suam ibi Academiam erexerit, quām  
perperam & contra omnium honorum sen-  
tentiam exactos à Religiosis Nummos illuc  
effundat, quām demum necesse sit, saniora  
captare Consilia, commissos hacenus emen-

dare Errores, & Juventuti aut meliores  
providere Professores, aut eamdem ad alios  
inculpatae Doctrinæ Magistros Coloniam di-  
mittere. Faxit Deus Malo finem!

---